

non sit compositum: quare *non attingere mente ipsa simplicia, est ea penitus ignorare* (1). Itaque apprehensiones hujusmodi non sunt capaces falsitatis secundo loco enumeratae, quam subeunt apprehensiones rationum complexarum; sed tantum falsae esse possunt per accidens primo modo, nempe relative ac per ordinem ad aliquid, cujus non est talis ratio simplex, quemadmodum diserte notat Angelicus (2). Et hoc modo etiam sensus, utcumque apprehendant simplicissimas corporum qualitates, interdum dicuntur falli per accidens, quia nempe illas, representationes non referunt ad proprium subjectum.

Explicatio  
recentiorum.

Doctrinam hanc paulo aliter exponunt recentiores, cum scribunt tripliciter posse simplicem apprehensionem falsam esse:  $\alpha$ ) *relative* seu *comparative*:  $\beta$ ) *occasionaliter* vel *dispositivae*:  $\gamma$ ) *præsuppositivae*. *Relative* seu *comparative*, nimirum respectu objecti non sui: sic conceptus *animal rationale*, qui verissimus est in se, esset falsa apprehensio *asini* vel *plantæ*; idea etiam, quam multi efformant audientes vocem *libertas*, est idea vera licentiæ et falsa libertatis; et prodigus habet sæpe ideam generositatis, quæ non refert generositatem, sed prodigalitatem.

*Occasionaliter* autem est falsa simplex apprehensio, quando præbet occasionem, ut exinde falsum iudicium efformetur, conjungendo duas rationes, quæ a parte rei non sunt conjunctæ. Hoc modo aliquis simul apprehendens *animal rationale* et *quadrupes*, induci posset ad has rationes falso componendas; et videns remum in aqua mersum, inducitur ad iudicandum fractum illum esse.

Tertio denique *præsuppositivae* falsa esse potest apprehensio simplex ratione falsi alicujus iudicii, quod præsupponit: quemadmodum qui falso iudicavit Deum corporeum esse, illum sibi talem representat etiam per simplicem apprehensionem, quæ proinde falsa dici potest, ratione scilicet illius iudicii, quod præcessit.

(1) S. Thom. Lib. 9.<sup>o</sup> *Metaphys.* lect. 11, paragr. e; Cfr. 1.<sup>o</sup> distinct. 19, quest. 5, art. 1, ad 7.<sup>um</sup>

(2) Lib. 9, *Metaph.* loc. cit.

## SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

20. **Objic. 1.<sup>o</sup>** Ex communi sensu. Omnes enim dicunt dari *ideas* falsas et *conceptus* falsos. Ergo.

**Resp. dist. ant.** Intelligendo nomine idearum et conceptuum iudicia, *conc.*, intelligendo simplices apprehensiones, *nego*, vel *subdist.*, per se, *neg.*, per accidens, *conc.*

**Objic. 2.<sup>o</sup>** Sæpe ideæ sunt objectis suis difformes. Atqui in hoc consistit falsitas. Ergo.

**Resp. dist. Major.** Sunt difformes difformitate positiva, *nego*, negativa, *conced.* Et *contradist.* Minori, *nego* consequentiam.

**Objic. 3.<sup>o</sup>** Sæpe volumus cognoscere objectum aliquod determinatum, v. g. aurichalcum, et efformamus ideam auri. Atqui in hoc casu revera datur deceptio. Ergo.

**Resp. dist. Major.** Et tunc deceptio est in voluntate, *conc.*, in intellectu, *subdist.*, si iudicet illud esse aurum, *conc.*, si solum simpliciter apprehendat, *neg.*, vel iterum *distinguo* ut supra, per se *nego*, per accidens, *conc.*

Si in casu objecto mens iudicet aurichalcum esse aurum, vere fallitur; si quis autem proponens sibi aurichalcum mente representare, conceptum simplicem efformat auri, voluntas certe a scopo aberravit, non vero intellectus; quia voluntas quidem intendit, et imperavit conceptum aurichalci, intellectus vero hic et nunc auri simplicem habens apprehensionem, illi tamquam objecto proprio conformatur.

**Objic. 4.<sup>o</sup>** Sæpe etiam objectum aliter apparet, ac est in seipso. Atqui tunc apprehenditur, prout apparet. Ergo. Exemplum habes in remo, qui mersus in aqua, fractus apparet, cum tamen sit integer.

**Resp. dist. Maj.** Et cum id evenit, objectum talium apprehensionum est res, prout est in sua propria realitate, *neg.*, prout hic et nunc apparet, *conc.*

Cum ex aspectu remi in aqua ideam concipis remi fracti, conceptus tuus non habet pro objecto remum prout est in se, integrum nempe, sed remum fractum; ideoque falsus esse non potest, nisi relative ad remum integrum, qualis in se est.

**Obj. 5.<sup>o</sup>** Si non darentur conceptus falsi, neque darentur iudicia falsa. Atqui dantur iudicia falsa. Ergo etiam ideæ.

Major probatur. Quia cum iudicamus, aliud revera non facimus, quam duas ideas componere aut dividere.

**Resp. neg.** assertum. Et probationem *dist.* Ita tamen, ut in solis iudiciis veris componamus, aut dividamus ea, quæ revera invicem conveniunt aut discrepant, *conc.*; ita ut in omni iudicio, etiam in falso, id faciamus, *neg.*

Etenim falsitas iudicii non oritur ex falsitate quam habent ideæ per se, sed ex falsitate quam habent per accidens, relative. Conceptus enim prædicati semper veritatem suam retinet respectu proprii objecti, sed non semper objectum proprium conceptus prædicati est subjectum propositionis: quod ubi contingit, conceptus prædicati respectu ejusmodi subjecti, difformitate vitatur ac falsitate.

**Obj. 6.<sup>o</sup>** Dantur ideæ ac conceptus, quorum objectum coalescit ex partibus aut invicem contradictoriis, ut conceptus *circuli quadrati, Dei injusti*, aut saltem ex membris quæ de facto non sunt copulata, ut idea *montis aurei, Adami nati ex aliis parentibus*, aliæque similes. Atqui in his certe inest falsitas. Ergo.

**Resp. dist.** Major. Ita ut in ejusmodi conceptibus minime affirmetur ipsa unio et compositio talium partium, *conc.*, ita ut affirmetur, *neg.*

**Contra dist.** Minor. Si unio affirmaretur talium partium, *conc.*, secus, *subdist.*, est falsitas per se, *neg.*, per accidens, *conc.*

Circa hanc objectionem distinguendi sunt conceptus compositi ex partibus absolute composibilibus, licet de facto non sint compositæ, et alii referentes membra invicem pugnantia. In primis, licet partes illæ ut unitæ concipiuntur inque unum coalescentes, idea vera est omnino, si de sola possibilitate agatur; re enim vera mons aureus possibilis est, et falsæ solum dici possunt respectu actualis existentie, et quidem solum per accidens, donec accedat iudicium, asserens actualem existentiam. In aliis autem conceptibus impossibile est partes illas, si rite concipiuntur, tamquam unum quiddam concipere. Unde cum quis cogitat de circulo quadrato; aut non concipit verum circulum verumque quadratum; aut non concipit has figuras tamquam unum efficientes, sed mere apprehendit unam et alteram, ut cum duo distincta objecta unico intuitu conspiciamus. Et potest etiam apprehendere quid

sit eas in unum coalescere, quin tamen eas de facto in unum coalescentes sibi in mente representet. Jam autem vides id non sufficere ad hoc, ut conceptus per se falsus dicatur. Theologus non potest negare Deum esse injustum, quin simul apprehendat *Deum et injustum*, et quid sibi velit unio duarum illarum idearum. An ideo dices theologum falli, immo in hæresim incidere ex eo, quod talem conceptum efformet? Donec ergo accedat affirmatio aut negatio, in ejusmodi conceptibus falsitas per se reperiri nequit. Itaque sola apprehensio objecti, ex partibus aut non connexis aut etiam contradictoriis coalescentis, non continet falsitatem, nisi per accidens.

**Obj. 7.<sup>o</sup>** Saltem conceptus universales videntur falsi, quia nullum objectum est universale, sed omnia sunt individua.

**Resp. neg.** assert., et rationem *dist.*, saltem *fundamentaliter, neg., formaliter, subdist.* in rerum existentia, *conc.*, in mente, *neg.* Hæc suo loco declarabuntur (1).

### CAPUT III.

#### DE QUIBUSDAM PROPRIETATIBUS VERITATIS LOGICÆ.

Tres quæstiones agitandæ nobis restant, quæ veritatis logicæ attributa attingunt: prima, utrum veritas essentialis sit omni actui vero; altera, utrum propositio aliqua possit de vera in falsam transire; tertia utrum veritas sit in indivisibili.

#### ARTICULUS I.

##### Utrum omnis enuntiatio vera essentialiter et ab intrinseco veritatem exigit.

21. Controversia hæc, quamvis prima fronte pendere videatur a quæstione superius pertractata circa constitutum veritatis; re tamen vera non est cum illa necessario ligata.

Statu  
quæstionis.

(1) Vid. S. Th. lib. 2 *De Anima*, lect. 12; Opusc. de *Potentia animæ*, cap. 6; r. p. q. 85, a. 1 ad 1.<sup>am</sup>; *Metaph.* lect. 10; Cfr. Arist. et S. Th. 2.<sup>o</sup> *Physicæ*, lect. 3; Opusc. de *sensu respectu sing.* etc.

Nam licet quis omni enuntiationi concedat exigentiam veritatis, non ideo cogitur ad identificandam penitus cum enuntiationis actu essentiam veritatis, sed potest adhuc aliquid aliud ad illius constitutionem requirere, nihil enim prohibet aliquid essentialiter connecti cum alio, vel adæquate vel inadæquate, distincto; et sic actio connectitur cum termino, et cognitio cum effectu formali seu denominatione *cogniti*, quæ ex cognitione et objecto constituitur (1). E converso quamvis neget quis enuntiationem veram esse necessario veram, sed admittit enuntiationes contingenter veras, potest nihilominus identificare adæquate veritatis essentiam cum actu enuntiationis, ut faciunt *Connotatores*, qui relationem identificant cum solo fundamento, et ad veritatem requirunt objectum, non tamquam constitutum essentialiter, ut nos requisivimus, sed tamquam connotatum pure extrinsecum.

Varie sententiæ: prima. In proposita ergo controversia pauci quidam auctores cum P. Hurtado (2) censent «veritatem formalem adæquate identificari cum omni actu vero ita, ut non sit actui contingens, sed potius in ejus essentia radicetur, tamquam proprietatis metaphysica» (3).

secunda communissimam et verior. Contraria tamen sententia communissima est, pro qua videri possunt præter Lossada, Franciscus Soarez Lusitanus (4), Quiros (5), Pontius (6), Cardin. Aguirre (7), etc.

22. PROPOSITIO. Non omnis enuntiatio vera exigit essentialiter aut ab intrinseco veritatem.

Propositio, ut vides, particularis est, solumque negat omnes propositiones veras ex sua intrinseca natura postulare veritatem. Fatendum enim est multas esse, quæ illam necessario ex sua conditione requirant, quales sunt omnes propositiones supernaturalis veritatis, et omnes etiam naturales, quæ sint certæ et evidentes. Itaque

(1) Lossada, *Logic*, tract. 5, disp. 2, cap. 1, n. 10.

(2) *De Anima*, disp. 9, sect. 3, a. n. 16.

(3) Lossada, loc. cit.

(4) *De Anima*, tract. 3, disp. 2, sect. 4.

(5) *De Anima*, disp. 99, sect. 1.

(6) *Logic*, disp. 19, a. 3.

(7) *Disputat. Select., Metaphys.* disp. 2, sect. 5.

**Prob. 1.<sup>o</sup>** Supponamus veram hanc propositionem: *Petrus ambulat nunc in foro*, quam assero ex motivo fallibili; puta quia id mihi renuntiat amicus, qui venit ex eodem foro, vel quia novi Petrum hac eadem hora quotidie solitum esse ibi ambulare. Hæc eadem numero propositio potuit elici, Petro non ambulante. Atqui tunc falsa esset. Ergo eadem numero propositio potest esse vera vel falsa, et consequenter non est necessario vera, sed est indifferens ex sua intrinseca natura vel ad veritatem vel ad falsitatem.

**Prob. Major.** Petro non ambulante, possunt existere in casu eadem principia eademque causæ in propositionem influentes, quæ nunc, currente Petro, existunt, nempe idem intellectus, eadem species intelligibiles, idem motivum. Aliunde vero ipsa realis ambulatio Petri, quando existat, in nullo genere causæ influit in actum illum, quia supponitur absens ac distans. Atqui manentibus iisdem prorsus principiis et causis, non est, cur idem numero actus elici non possit, nam *idem manens idem semper est natum facere idem*, ut fert proverbium. Ergo stat Major adductæ probationis (1).

**Confirmatur 1.<sup>o</sup>** Quia actus asserens ex prædictis motivis existentiam ambulationis Petri, nullo ex capite connectitur cum eadem. Non titulo alicujus influxus, quem exerceat, ut per se patet; neque etiam titulo representationis, quia eadem representatio dari potest, Petro non ambulante; nec denique titulo alicujus principii falsitati repugnantis, qualis reperitur, v. g. in actu elicto per habitum Fidei supernaturalis, siquidem nec intellectus humanus, nec species intelligibiles, nec motivum, ex quo supponitur elici hic et nunc actus ille enuntians Petri ambulationem in foro, ex se repugnant falsitati (2).

**Confirmatur 2.<sup>o</sup>** exemplis. Potest enim eadem numero imago esse nunc conformis nunc difformis prototypo per solam illius mutationem; potest similiter eadem enuntiatio vocalis vel scripta vera vel falsa esse per solam objecti mutationem. Ergo idem dicendum est de quibusdam propositionibus.

(1) Vid. Lossada loc. cit. n. 11.

(2) Vid. Lossada, ib., n. 12 seqq., ubi plura.

**Prob. 2.<sup>o</sup>** Actus verus et falsus enuntiantes Petri ambulationem ex eodem motivo fallibili ejusdem sunt speciei. Atqui si vera foret contraria sententia non essent ejusdem speciei, nam differret prædicato essentiali. Ergo.

**Major** patet. Primo quia non est, unde discrepare possint specie, siquidem conveniunt in principiis, objecto et modo tendendi, nam uterque affirmat Petri ambulationem. Deinde species non sunt multiplicandæ sine necessitate. Hic autem nulla est necessitas specificam diversitatem invehendi, quandoquidem diversitas denominationum *veri* et *falsi* in prædictis actibus explicari recte potest per solam mutationem objecti in suo esse physico; quemadmodum accidit in externa imagine, ut nuper dicebamus, et etiam in denominationibus *similis* ac *dissimilis*, *æqualis* et *inæqualis*, quæ fundamento relationis convenire possunt ex sola termini mutatione, ut nunc supponimus ex materia de Relatione (1).

Quænam sint  
propositiones  
non  
exigent  
ex natura sua  
veritatem.

23. **Jam** si quæras quænam sint enuntiationes veræ quæ ex sua natura non exigunt essentialiter veritatem, respondeo in primis tales esse omnes propositiones de materia contingenti. Deinde puto propositiones etiam de materia necessaria, si naturales sint, et nitantur motivo fallibili, aut careant evidentiâ, esse, *quantum est de se*, contingenter veras, tametsi ob immutabilitatem necessitatemque sui objecti nequeant esse falsæ. Sic judicium, quo quis ex solo magistri testimonio, quod certe fallibile est, teneat triangulum habere tres angulos duobus rectis æquales, necessario quidem verum est ratione objecti, quod aliter esse nequit, non tamen ratione sui, seu ab intrinseco. Et ratio est, quia ille actus nititur motivo ex se fallibili, et aliunde nullum aliud principium habet intrinsece repugnans falsitati, siquidem objectum ipsum hic et nunc, dum solum asseritur ob auctoritatem magistri, in actum illum non influit. Si ergo judicium illud deficere nequit, non est ob intrinsecam perfectionem et naturam ejus, sed solummodo propter necessitatem objecti ad quod terminatur (2).

(1) Vide Lossada, loc. cit., n. 15.

(2) Vide Lossada, loc. cit., n. 17. Hæc elariora fient ex his, quæ dicenda sunt de Opinione.

24. **Dices 1.<sup>o</sup>** Hæc enuntiatio: *Petrus currit*, non potest mutare objectum, nec sine objecto existere. Atqui ejus objectum est Petrus reipsa currens. Ergo non potest existere, quin Petrus reipsa currat; et consequenter nequit existere, quin vera sit, seu necessario vera est.

**Resp. 1.<sup>o</sup>** *Insto* in propositione vocali vel scripta, quæ pariter objectum mutare nequit, stante eadem vocum significatione, et nihilominus potest falsa esse. Item hoc judicium falsum: *Petrus reipsa currit*, quod habet pro objecto Petrum reipsa currentem, potest existere, Petro non currente. Cæterum quod propositio, falso asserens Petrum currere, idem habeat objectum, ac propositio vere enuntians Petri cursum, constat; tum quia utraque idem signate repræsentat, affirmatque; tum quia falsa præcise falsificatur per earentiam cursus existentis, nullus autem actus falsificatur, nisi per earentiam sui objecti; tum quia non potest esse objectum actus id, quod ab actu non attingitur, sed prorsus reticetur (1).

**Resp. 2.<sup>o</sup>** *Dist.* Major. Enuntiatio hæc: *Petrus currit*, non potest mutare objectum quoad idealem repræsentationem, *conc.*, quoad esse physicum, quatenus cursus Petri deficere non possit, dum per talem propositionem enuntiatur, *neg.* Major: neque enim connectitur necessario cum eo, quod objectum se habeat in re, sicut enuntiatur.

Et *concessa* Minori, *neg.* Conseq. Cæterum propositio illa, si cursus Petri deficeret, non maneret sine objecto *signate sumpto* et in *ratione objecti*, quia retineret eandem repræsentationem, quam, existente cursu, habebat, et per quam objectum ejus constituitur in esse objecti; maneret tamen sine objecto *exercite* et *specificative sumpto* in esse entis, id est, secundum existentiam physice exercitam, quæ adequate distinguitur a propositione illam enuntiante. Et in hoc sensu propositio manet sine objecto, et ideo præcise est falsa (2).

**Dices 2.<sup>o</sup>** Hoc judicium: *Petrus est homo*, per suam essentiam est repræsentatio sicuti est. Ergo per suam essentiam est conformis Petro, ac proinde verus.

(1) Lossada, loc. cit., cap. 2., n. 20, et cap. 1., n. 14.

(2) Lossada, loc. cit., cap. 2., n. 22.

Resp. neg. Ant. Nam illud iudicium solum representat Petrum esse hominem, atque adeo hoc solum est illi essentiale, representare videlicet Petrum hominem; quod autem Petrus sit homo, non est essentiale iudicio, sed Petro. Id quod clarius videbis in hoc alio exemplo: *Pilatus est sanctus*: huius propositionis essentia est dumtaxat representare Pilatum ut sanctum, non est autem de illius essentia, quod Pilatum sit, aut non sit sanctus (1).

## ARTICULUS II.

Utrum veritas omnis propositionis sit immutabilis, seu utrum propositio semel vera possit in falsam transire.

Status  
questionis  
exponitur.

25. Questio hæc solum instituitur circa propositiones naturales de materia contingenti, habentes pro objecto aliquid quod, non intuitive, sed abstractivè cognoscatur. Nam nec supernaturales nec propositiones de materia necessaria possunt a vera in falsam, vel e converso, mutari. Idemque dicendum est de actibus intuitivis, qualis est v. g. actus, quo videns Petrum currentem, iudico illum currere. Actus enim huiusmodi, ut alias notavimus, existentiam realem sui objecti requirunt. Quare actus intuitivus, qui Petrum currentem enuntiat, si cursus Petri deficiat, eo ipso deficit etiam ipse.

Deinde supponendum est propositionem huiusmodi durare aliquot instantia, saltem duo; si enim unum dumtaxat instans duret, impossibile est transitus ille propositionis, nam objectum in eodem instanti nequit simul esse, ac deficere. Non tamen nostrum est nunc disputare, num mentalis propositio uno dumtaxat, an vero pluribus etiam instantibus, durare possit; sed procedit quæstio in suppositione, quod duret aliquot instantia temporis.

Neque vero putes quæstionem hanc decisam jam fuisse in præcedenti articulo, in quo ostendimus non omnes propositiones esse veras necessario atque essentialiter, sed quasdam esse contingenter veras; non enim idem est propositionem

(1) Vide Franc. Soarez lusitan., loc. cit. *De Anima*, tract. 3, disp. 2., sect. 4, n. 94, ubi plura invenies.

esse contingenter veram ac mutabiliter veram. Contingenter esse veram importat, quod potuerit non esse vera. At dubitari potest, utrum propositio, quæ in prima sui productione potuerit non esse vera, possit necne veritatem semel habitam amittere. Et ad resolvendam hanc dubitationem præsens instituitur controversia; in qua non pauci negativam tenent sententiam cum Petro Hurtado (1), Francisco Soarez lusitano (2), Pontio (3), Arriaga (4), aliisque.

At vero communior opinio est eorum, qui docent posse propositionem veram contingentem, naturalem et invidentem, abire in falsam. Ita S. Thomas (5), cum Aristotele (6), et auctor *Summæ totius Logicæ Aristotelis* (7), Scotus, (8), Suarez (9), Rubius (10), Valentia (11), Sylvester Mauri (12), Semery (13), Mayr (14), Rhodes (15), De Benedictis (16), Lossada (17), Quiros (18), Joannes a S. Thoma (19), Mastrius (20), et alii.

26. PROPOSITIO. Potest propositio contingenter vera transire in falsam.

Prob. Supponamus hanc propositionem: *Petrus sedet*, duo instantia durare: nihil profecto vetat, quominus Petrus in

Varie circa  
propositam  
quæstionem opi-  
niones.

- (1) *De Anima*, disp. 9, sect. 4.
- (2) *De Anima*, tract. 3, disp. 2, sect. 4, paragr. 6.
- (3) *Logicæ*, disp. 19, q. 3.
- (4) *Logicæ*, disp. 14, sect. 2.
- (5) 1 p. q. 14, art. 15, ad 3.<sup>um</sup> de Verit. q. 1, art. 6.
- (6) *De Categor.*, cap. 5, de Substantia versus fin.
- (7) Tractat. 2, de Prædicamentis, cap. 4, lin.
- (8) 4.<sup>a</sup> dist. 8, q. 2, V.
- (9) Disput. *Metaph.* 8, sect. 2, n. 10.
- (10) *Logicæ*, *De Interpretatione*, seu *Perihermen.* c. 4, q. 5.
- (11) Commentar. in 1 p. disp. 1, q. 16, punct. 3, fin.
- (12) *Quæstion. philosoph.*, tom. 1, q. 60, Dico 2.<sup>a</sup>
- (13) *Trienn. philos.*, t. 1, disp. 5, q. 5.
- (14) *Philos. perip.*, pars. 1, disp. 5, q. 2, art. 6.
- (15) *Philos. perip.*, lib. 1, disp. 3, q. 2, sect. 1, paragr. 3.
- (16) *Logicæ*, lib. 3, q. 3, cap. 5, paragr. 1.<sup>a</sup>
- (17) *Logicæ*, loc. cit. cap. 3.
- (18) *De Anima*, disp. 99, sect. 2.
- (19) *Logicæ*, *Illustrationes*, q. 5, art. 1.
- (20) *Logicæ*, disp. 10, q. 2, art. 2.

primo re vera sedeat, in altero surgat. Atqui tunc propositio illa in primo instanti vera erit, utpote conformis objecto, in altero autem falsa, quia objectum refert aliter ac est in se. Ergo stat thesis nostra.

Minor patet, quia propositio illa: *Petrus sedet*, enuntiat sessionem de praesenti, quamdiu ipsa durat, sive pro primo sive pro secundo instanti, habet enim verbum in praesenti tempore. At vero in secundo instanti jam non amplius sedet Petrus, Ergo...

Probatio hæc luce meridiana clarior videtur; tamen

Dices 1.<sup>o</sup>: illa propositione enuntiare sessionem Petri praesentem solum pro primo instanti, in quo prolata illa est, et in quo supponitur Petrus sedere.

Resp. Tunc ergo pro secundo instanti propositio illa enuntiaret sessionem de praeterito, siquidem instans primum, praesente secundo, praeteritum est. Atqui propositio illa sessionem absolute enuntiat de praesenti; non enim dicit Petrum *sedisse*, sed *sedere*; neque vero tempus praesens absolute prolatum, ex sensu communi omnium hominum, mutat significationem, ut modo rem de praesenti, modo de praeterito commonstret. Pone cellam vinariam, in qua hæc legatur inscriptio: *Hic venditur vinum*: finge cellam converti in stabulum equorum, adhuc tamen inscriptionem ibidem remanere. Cui unquam in mentem venerit dicere vim et significationem illius jam non esse, *quod vinum vendatur*, sed *quod olim venderetur?* (1)

Dices 2.<sup>o</sup> cum P. Arriaga, esse de *praesenti*, *praeterito* aut *futuro*, non esse differentias intrinsecas mentalium propositionum intellectus nostri, sed denominationes extrinsecas provenientes a variatione instantium, quæ variari possint, quin varietur entitas aut representatio cognitionis. Ad eum modum, quo scientia divina de creaturis existentibus invariata manet, sive creaturæ existant, sive extiterint, sive adhuc extitūræ sint. Quare propositionem: *Petrus sedet*, quæ pro instanti primo significat praesens, pro instanti altero significat praeteritum absque ulla sui mutatione.

(1) Cfr. Lossada, loc. cit.

Resp. iterum hæc esse contra sensum communem. Quisque enim experitur distinctissimas esse tendentias et significationes horum judiciorum: *Petrus sedet*; *Petrus sedit*; et *Petrus sedebit*. Et nisi dicamus in judiciis hujusmodi tempus intrinsece significari, numquam sciemus pro quo tempore veritatem habere dicendæ sint tales propositiones. Præterea in hunc modum arguo: Judicia hæc: *Generale dituvium extitit aliquo tempore*, et: *Generale judicium existet aliquo tempore*, vel differunt intrinsece secundum suum modum tendendi vel non. Si differunt, falsum est, quod adversarii dicunt, judicia nostra præscindere ex se a tempore; neque enim aliter duæ illæ propositiones differre possunt. Si non differunt, utrumque verum æque erit nunc, nam ex judiciis, quæ nec in objecto nec in modo tendendi discriminantur, non est, cur unum præ alio verum sit. Atqui hoc prorsus absurdum est, et contra communem omnium sensum: primum enim verissimum est, at alterum falsum.

Adde quod doctrina adversariorum contradicit S. Augustino et S. Thomæ. Nam S. Augustinus sibi probandum sumpsit discrimen scientiæ divinæ a nostra præcise ex varietate temporum. *Non enim*, inquit, *more nostro Deus vel quod futurum est, prospicit; vel quod praesens est, aspicit; vel quod praeteritum est, respicit; sed alio modo quodam a nostrarum cogitationum consuetudine longe lateque diverso... Quoniam non sicut nostra, ita et ejus quoque scientia, trium temporum praesentis videlicet, et praeteriti, et futuri varietate mutatur* (1).

Similia docet S. Thomas non uno in loco (2).

Plura dabunt laudati auctores, ac potissimum Lossada.

Confirmatur propositio auctoritate S. Thomæ, qui cum hanc sibi solvendam questionem proposuisset: *Utrum enuntiable semel verum, sit semper verum*, sic respondit: *Dicendum quod hujus dubitationis vis in hoc consistit, ut sciatur, ulrum sit idem enuntiable, quod est de praesenti, praeterito et futuro. Si enim hoc verum sit, consequens erit, quod enuntiable, quod semel est verum, semper erit verum, licet forte*

(1) S. Aug. *De Civitate Dei*, lib. 11, cap. 21.

(2) Vide 1. p. q. 16, a. 8 ad 4.<sup>um</sup>; *De Verit.*, q. 1, a. 5 corp., et art. 6, ad 6.<sup>um</sup>, Vide Lossada, loc. cit. n. 4-8.

*hoc dubitationem aliquam habere possit circa enuntiabilia de futuro contingenti; sed hoc est altioris inquisitionis.*

*Si vero sint diversa enuntiabilia de presenti, præterito et futuro (est autem idem enuntiabile, quod est de presenti, qualitercumque res se habeat), manifestum est, quod idem enuntiabile quandoque est verum, quandoque falsum, secundum quod Philosophus dicit in Peribermen., quod eadem oratio quandoque est vera, quandoque falsa. Et postquam id declaravit, hisce verbis concludit: Et ideo dicendum est, quod non est idem enuntiabile Socratem sedere, et Socratem sedisse vel sessurum esse. Sed Socratem sedere est idem enuntiabile, quia est eadem vox et idem modus significandi. Et ideo patet, quod idem enuntiabile potest quandoque esse verum, quandoque falsum (1). En in terminis nostram sententiam.*

Similia habet alibi: *Quidam... dixerunt, quod ad unitatem rei significata sequitur unitas enuntiabilis, quamvis etiam cum diversa consignificatione temporis proferatur. Et secundum hoc sequitur, quod enuntiabile, quod semel est verum, semper fuit, et est verum... Sed ista positio expresse contrariatur dictis Philosophi in Prædicamentis (cap. de Substantia), qui dicit, quod eadem propositio, scilicet: Socrates sedet, quæ prius erat vera, Socrate sedente, eodem surgente, efficitur falsa... Et post allatam aliam hujus rei rationem, pergit: Unde ab omnibus modernis conceditur, quod sint duo diversa enuntiabilia, Socratem currere et cucurrisse, etiamsi ad eundem cursum referantur, etc. (2)*

27. *Objicies. Propositio: Petrus sedet, ut vera sit, debet objectum ejus durare toto tempore importato per copulam, seu tamdiu, quamdiu duret ipsa propositio affirmans sessionem de presenti. Si vero Petrus non sedeat in aliqua parte temporis, quo durat propositio, jam hæc falsa omnino redditur. Atqui si Petrus supponitur sedens toto illo tempore, jam nequit sessio illius deficere, quamdiu durat propositio. Ergo si dicta propositio semel est vera, abire in falsam nequit.*

*Declaratur. Illa propositio: Petrus sedet, vel significat Petrum sedere pro omnibus instantibus, quibus ipsa existet,*

(1) S. Thom. *Quodlibeto* 4, art. 17.

(2) S. Thom. 1.<sup>o</sup> dist. 41, art. 5. corp. Cfr. ib. ad 2.<sup>um</sup> et ad 4.<sup>um</sup>

vel pro aliquo determinato, primo v. g., vel denique pro aliquo disjunctive. Atqui in nullo horum casuum propositio vera in falsam abire potest. Non in primo, ut patet; quia tunc si Petrus sedeat in omnibus illis instantibus, vera erit propositio; et etiam si uno instanti desinat sedere, falsa dicenda erit: neque in secundo, quia in uno determinato instanti impossibile est propositionem veram et falsam esse; neque denique in tertio, quia tunc si vel uno instanti Petrus sedeat, vera erit propositio, licet in aliis desinat sedere. Sicut ad hoc, ut verum sit me hodie scribere, satis est, quod hac hora vel momento temporis scribam, quamvis mox per totam diem dormiam. Ergo impossibile est propositionem, semel veram, falsam fieri.

*Resp. dist.* Major. quoad primum membrum. Ut vera sit toto tempore, quo durat ipsa propositio, *conc.* Ut vera sit in aliqua parte suæ durationis, *neg.*

Alterum membrum Majoris *neg.*

Et concessa Minore, *neg. conseq.*

Ad declarationem dico, propositionem significare quidem sessionem Petri pro omnibus instantibus, quibus ipsa existit, non tamen ita, ut verificari non possit, nisi objectum existat in tota illa omnium instantium serie. Nam propositio illa enuntiat præsentiam vel cœxistentiam sui cum sessione Petri pro singulis instantibus suæ durationis, significando tamen solum indefinito modo præsens quantum ad particularia instantia, ita ut ex se permittat rationem præsentis temporis contrahi de facto sive per instans *A*, sive per *B*; et solum petit ad sui veritatem, Petrum currere in eo instanti, quod actu est præsens, sive sit *A*, sive *B*, sive quodvis aliud; ab hoc enim præscindit. Unde reddit æquivalenter hunc sensum: *Aliquod instans est præsens* (sive sit *A*, sive *B*, sive aliud) *et in eo Petrus sedet.* Et sic in quibuscumque instantibus datur a parte rei sessio, vera est enuntiatio; falsa vero in quibuscumque sessio non datur. Et ratio est quia illud præsens simplicissimum, quod exprimit verbum *sedet*, successive transit per singula instantia determinata, prout illa fiunt actu præsentia, ideoque propositio etiam successive verificari potest per varia instantia ita, ut si in primo instanti detur sessio Petri, statim in eo verificetur propositio, et similiter in secundo, tertio ac

cæteris, si vero in primo, vel in secundo vel quovis alio deficiat sessio, falsa est propositio pro illo instanti, licet veritatem habeat in aliquo alio instanti, in quo Petrus sedet.

Dices: secundum hanc doctrinam, propositio: *Petrus sedet*, mutaret significationem et objectum, siquidem modo significat Petrum sedere pro primo instanti, modo pro secundo etc. Atqui tunc propositio variatur essentialiter; sicut secundum nos variaretur, si modo significaret rem pro præsentem, et postea pro futuro vel præterito. Ergo non erit jam eadem propositio, quæ de vera transit in falsam.

Respond. Diversis modis solvunt auctores nostræ sententiæ hanc difficultatem. Alii concedunt propositionem illam mutare objectum materiale, quod tamen non attingitur ab illa explicite, sed implicite dumtaxat; nam explicite semper idem refert illa propositio, nempe *sessionem nunc præsentem*, et implicite designat successive varia instantia. Simile quiddam ajunt contingere tum in aliis, tum in hac propositione: *Homo currit*, quæ licet explicite et signate unum idemque habet objectum, unam eandemque significationem, implicite tamen modo significat *Petrum*, modo *Paulum*, aut alium quemvis, prout cursus de facto verificetur in Petro, Paulo, vel alio quovis.

Alii vero negant significationem variari in prædicta propositione sive explicite sive etiam implicite, sed concedunt mutari verificativum propositionis. Nam propositio semper significat idem, nempe sessionem Petri, non præteritam aut futuram, sed nunc *præsentem*, seu cœexistentiam sessionis cum ipsa, quamvis illa cœexistentia verificari possit modo in uno instanti, modo in alio: unde significatio ac representatio propositionis semper eadem est, sed variatur verificatio. Hoc pacto si quis dicat: *Ab hora nona ad decimam non deerit aliquis qui oret in Ecclesia*; quamvis in primo quadrante oret Petrus, in altero Paulus, in tertio Joannes et in quarto Franciscus: significatio quidem propositionis eadem est, verificatio tamen diversa pro singulis horæ quadrantibus (1). Sed vereor, ne ista subtiliora sint, quam utilia. Itaque, qui plura velit, adeat citatos auctores.

(1) Vide de his fusc disputantem Ludovicum Lossada, loc. cit. c. 4.

## ARTICULUS III.

## Utrum veritas et falsitas consistant in indivisibili, an vero gradus admittant.

28. Ad quæstionis resolutionem prænotandum est 1.<sup>o</sup> veritatem dupliciter spectari posse, vel *formaliter*, id est secundum suam formalem rationem adæquationis et commensurationis inter cognitionem et objectum ipsius; vel *materialiter* vel secundum alia prædicata-vel attributa, quæ formalem veritatis rationem in actu vero circumstant, vel comitantur, et ad ejus majorem perfectionem spectant, sive *pure extensivam*, quæ in eo consistit quod cognitio vera magis aut minus completa sit, pluraque vel pauciora de objecto repræsentet, sive etiam *intensivam*, quæ præcipue sita est in cognitionis evidentia et infallibilitate seu certitudine: nihil enim horum est ipsa ratio formalis veritatis.

Veritas spectari potest materialiter et formaliter.

2.<sup>o</sup> Jam quantum attinet materialem veritatem, patet alium actum alio veriorum esse posse, ac proinde gradus in hujusmodi veritate dari. Nam in primis, qui objectum magis complete cognoscit, magis quodammodo ipsi conformatur, et quia plura de illo attingit, melius cognoscit, ideoque verius. Hoc pacto verior dici potest cognitio repræsentans hominem ut *animal rationale*, quam ut *animal*, aut *vivens*.

Materialiter sumpta gradus admittit.

Deinde actus cognitionis pro majori aut minori evidentia et certitudine seu infallibilitate, magis aut minus verus dici potest, quia nempe verior aut minus verus est *radicaliter*, cum majorem aut minorem habeat exigentiam veritatis. Sic verior est, utpote certior magisque necessario verus, actus fidei supernaturalis, quam actus quilibet naturalis, quemadmodum docent Theologi: et inter naturales judicium enuntians principium contradictionis verius est iudicio affirmante cursum Petri ex sensuum testimonio.

3.<sup>o</sup> Quæstio itaque proposita non versatur circa veritatem materialem, sed circa formalem dumtaxat, et similiter circa falsitatem.

non vero formaliter sumpta.



29. PROPOSITIO 1.<sup>a</sup> Veritas formaliter considerata consistit in indivisibili (1).

Ratio est, quia veritas, ut patet ex ejus notione superius data, adæquationem et commensurationem importat (2) actus cum objecto, secundum illud esse quod enuntiat. Atqui in hujusmodi adæquatione et commensuratione gradus dari nequeunt.

Sane adæquatio illa in actu cognitionis non habetur, nisi objectum habeat in se totum id, quod de illo refert actus. At in habendo totum id, quod exprimit, ac refert cognitio de objecto, ut per se patet, non potest dari magis et minus.

Ad rem Angelicus: *Cum veritas consistat in adæquatione intellectus et rei; si consideretur veritas secundum rationem æqualitatis, quæ non recipit magis et minus, sic non contingit esse aliquid magis et minus verum. Sed si consideretur ipsum esse rei, quod est ratio veritatis, sicut dicitur in 2.<sup>o</sup> Metaphysicor. (text. comm. 4), eadem est dispositio rerum in esse et veritate: unde quæ sunt magis entia, sunt magis vera; et propter hoc etiam in scientiis demonstrativis magis creduntur principia quam conclusiones (3).*

Confirmatur. Quia æqualitas, quam importat veritas, non est sicut similitudo, quæ major esse vel minor, crescere ac decrescere queat; unde non magis æqualis est formaliter leuca leucæ, quam ulna ulnæ, vel linea lineæ.

30. PROPOSITIO 2.<sup>a</sup> Falsitas non solum materialiter considerata, verum etiam secundum ipsam formalem sui rationem gradus admittit.

Probat. Quia falsitas communiter concipi videtur non per meram veritatis negationem et carentiam, sub qua ratione profecto consisteret in indivisibili, sed tamquam positivam

Falsitas autem, etiam formaliter sumpta, gradus habet.

(1) Ita Suarez, Disp. Met. 9, sect. 1, n. 24; Izquierdo, *Pharus scientiar*, disp. 3, q. 3, sect. 2; Semery, *Triennium philos.*, disp. 5, q. 6, art. 1, quæst. 3; Rub., *De Interpret.*, cap. 2, quæst. 2; Hurtad., *Logic.*, disp. 11, sect. 2; Arriaga., *Logic.*, disp. 14, sect. 3; Lossada, loc. cit., cap. 5, n. 3; Joann. a S. Thoma, *Logic.*, quæst. 5, art. 1; Roselli, *Summ. Philos.*, tom. 1, quæst. 26, art. 1.

(2) S. Thom., *de Veritat.*, quæst. 1, art. 5.

(3) S. Thom., *de Virtutibus*, q. 2, art. 9 ad 1.<sup>um</sup>

diffirmitatem actus cum objecto, atque adeo per modum recessus ac distantiae a veritate. Atqui in recessu a veritate gradus certe dari possunt. Sic magis aberraret a vero, qui duo tantum esse sacramenta, quam qui sex affirmaret; quemadmodum etiam magis distat Roma ab Indiis, quam a Gallia et inæqualior est unus palmus centum leucis, quam ulnæ.

#### SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

31. Objic. 1.<sup>o</sup> Actus unus potest esse certior atque evidentialior alio. Ergo et verior. Nam verior est ille actus, quem magis repugnat falsificari, quam minus certum.

Resp. Conc. antec. Dist. conseq. Ergo et verior esse potest, si nempe veritas materialiter spectetur, conc., si formaliter spectetur, neg.

Et simili modo responderetur ad probationem consequentis. Neque enim formalis ratio veritatis stat in repugnantia cum falsitate, sed in actuali conformitate vel adæquatione cognitionis cum objecto.

Objic. 2.<sup>o</sup> Conclusio est vera propter præmissas. Ergo præmissæ veriores sunt conclusione. Nam secundum vulgatum illud Scholasticorum proloquium, *propter quod unumquodque tale, et illud magis*, atque adeo si conclusio est vera propter præmissas, hæc veriores sint, oportet.

Resp. neg., antec. si sermo sit de formali ratione veritatis. Nam conclusio, sicut quævis alia propositio vel judicium, non est vera formaliter nisi propter conformitatem sui cum re, sive quia res est ita, ut enuntiat.

Objic. 3.<sup>o</sup> Verior est hæc propositio: *Homo est animal rationale*, quæ totam essentiam hominis exprimit, quam hæc alia: *Homo est animal*, quæ solum partem refert essentia.

Resp. neg. assertum, intellectum de formali ratione veritatis. Nam prima propositio plura refert de objecto quam altera, et sic plenius declarat et manifestat essentiam hominis, atque adeo verior est secundum materialem rationem veritatis. Cæterum, formaliter loquendo, non minus conformatur objecto secunda propositio, quam prima; sicut non minus adæquari potest linea lineæ, quam superficies superficiæ.

Objic. 4.<sup>o</sup> Veritas est similitudo cognitionis cum objecto. Sed similitudo suscipit magis et minus. Ergo...